



PAVLVS PAPA V.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM. Cùm olim fœlicis recordationis Clemens Papa VIII. Prædecessor noster ad tollendos nonnullos abusus, qui in communicandis Indulgentijs & priuilegijs Confraternitatibus, dum erigebantur, instituebantur, seu aggregabantur à Superioribus Ordinum, Religionum, & institutorum necnon ab Officialibus Archiconfraternitatum, & Congregationum respectiuè irrepserant per suam perpetuò valituram constitutionem inter cætera decreuisset, vt omnes Confraternitates nouas erectionum, institutionum, & aggregationum formas, quibus nouæ etiam Indulgentiæ concedebantur, & concessæ renouabantur ab Apostolica Sede acciperent infra certum tempus tunc expressum, prout in eiusdē Clementis literis plenius continetur. NOS in executionem dictæ Constitutionis, & mentis prædicti Clementis Prædecessoris compluribus Confraternitatibus nouas Indulgentias, & priuilegia concedentes, antea concessas reuocauimus. inter quas etiam supplicationibus dilectorum filiorum Officialium, & Confratrum Confraternitatis Sanctissimi ROSARII in Ecclesia Sanctæ MARIÆ super Mineruam Fratrum Prædicatorum de Vrbe inclinati, tàm dictæ Confraternitati, quàm omnibus alijs Confraternitatibus eiusdem Sanctisimi ROSARII omnes, & quascunq; alias Indulgentias à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris eisdem Confraternitatibus concessas reuocantes certas alias nouas Indulgentias, quibus in posterum vterentur, concessimus, & indulsimus, prout in nostris in simili forma Breuis desuper confectis literis plenius etiam continetur. Cùm autem sicut dilectus Filius AVGVSTINVS GALAMINIVS Magister GENERALIS dicti Ordinis PRÆDICATORVM occasione Capituli Generalis ROMAE nuper celebrati nomine complurium diuersarum Nationum eiusdem Sanctissimi ROSARII Confraternitatum Nobis nuper exposuit, quod cum ipsis Confraternitatibus prædictis minimè supplicantibus, sed nescientibus, & nil tale prorsus cogitantibus, quippè qui dicti Sanctissimi ROSARII Confraternitates, dùm canonicè instituuntur Indulgentiarum communicatione minimè indigeant: sed ipso iure, vigore Priuilegiorum Apostolicorum illas nanciscantur, huiusmodi noua concessio, & reuocatio Indulgentiarum impetrata fuerit. Idcircò Nobis humiliter supplicari fecerunt, vt desuper prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. NOS igitur, qui iustis, & pijs fidelium votis annuere pro muneris nostri debito tenemur, ipsum Generalem Magistrum, & Confratres prædictos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, illosq; specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, eorundem supplicationibus inclinati literas nostras prædictas, quarum tenorem præsentibus haberi volumus pro expresso, harum serie, ad terminos iuris reducimus, necnon Confraternitatibus omnibus vbiq; locorum existentibus, canonicè tamen institutis Sanctissimi ROSARII huiusmodi, vt ijsdem Indulgentijs à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris concessis, prout ante dictas nostras literas, & non aliàs vtebantur, fruebantur, & gaudebant, vti, frui, & gaudere liberè, & licitè valeant, ac illis suffragentur in omnibus, & per omnia perinde, ac si dictæ literæ non emanassent, concedimus, & indulgemus. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon regula nostra de non concedendis Indulgentijs ad instar, cæterisq; contrarijs quibuscunque. Volumus autem, quod præsentium transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris, die 20. Septembris 1608. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Scipio Cobellutius.

ROMAE, Ex Typographia Reu. Cameræ Apostolicæ. 1608.